

scabrosus horrebat sermo et libratas pedibus sillabas quasi balbutiens trutinabam. Sic me raptatum estu cogitationis ambigue absorbebat materie magnitudo. Neque enim materia ab opere superatur, ut quidam ait: *materiam superabat opus*<sup>1)</sup>, sed rusticitati operis dignitate materia antefertur, et opus a materia superatur.

Sane si deliciosas aures vestre disertitudinis sermo impolitus offenderit et incultus, veniam postulo humi stratus. Parcendum est utique humane fragilitati, danda est venia nescienti, indulgendum est deprecanti, consulendum est delinquenti<sup>2)</sup>. Archa quidem Domini Sabaoth sedentis super Cherubim<sup>b) 2)</sup>, licet plastro temporalis volubilitatis<sup>c)</sup> imposita sit delata, stimulis tamen affectionum carnalium bubus recalcitrantibus legitur inclinata<sup>3)</sup>. Protulissem utique melius, si scire melius *desuper datum esset*<sup>4)</sup>. Ipse denique sermo Dei et sapientia totus non phaleratis nec philosophicis sermonibus usus ad populum loquens, sed supercelestibus et simplicibus verbis ea proponens turbis, que magis ad salutem instrueret quam aures audientis populi demulceret, auxit fiduciam, dedit audaciam, roboravit animum ad scribendum. Exilem igitur et incomptum<sup>d)</sup> quasi de universitate tractatum sensu tardiore compositum, imperitiori sermone prolatum, vestro nomini dedicatum, aures et oculos arguti iudicis formidantem sensus vester benivolus pie inspiciat et benigne corrigat, quia vestre correctioni<sup>e)</sup> dirigitur et iudicio, non favori.

Ergo, si qua rudi subrepat carmine menda,  
deleat hanc proprio gratia vestra stilo.  
Si minus est digne, mage<sup>f)</sup>, quod reor, aut bene dictum,  
suppleat id<sup>g)</sup> divo munere vester apex.  
Fructibus, haud<sup>h)</sup> foliis, homini natura dat uti;  
sensibus, haud verbis, debet is ergo frui,  
nam<sup>i)</sup> nemus ede sacra plantari lege vetatur<sup>5)</sup>,  
ne crucis obvolvant verba polita fidem.

---

a) delinquenti B      b) Cherubin V      c) volubilitatis B      d) *verbessert*  
aus incontinuum V      e) correptioni V      f) *wohl Nebenform von magis*  
g) hic B      h) *aud verbessert aus* aut V      i) nam — fidem *fehlt* B.

<sup>1)</sup> Ovid, *Met.* II 5.

<sup>2)</sup> Vgl. 1. Reg. 4, 4; 2. Reg. 6, 2; 1. Par. 13, 6.

<sup>3)</sup> Vgl. 2. Reg. 6, 6; 1. Par. 13, 9.

<sup>4)</sup> Iob. 19, 11.

<sup>5)</sup> *Vielleicht Anspielung auf Iudic. 6, 25: nemus, quod circa aram est, succide.*